

tempore Carolus Magnus, auctor Imperij Germanici, vernacula lingua *Regensburgum* nominari voluit: non (vt quidam autumnant) à pluuiâ vrbe vel arce, quasi *Hyspolis*: sed vel à Reginoburgi veteris leuiter deflexo nomine: (vt & in Pontificio diplomatico *Reginaspurch*) vel potius à *Rego* siue *Regno* amne, qui infrâ urbem, quemadmodum Nabus suprà urbem, Danubio miscetur, quasi *Regnipyrgum*. Tandem Latinum adepta cognomentum *Ratisponæ*, à ponendis ratibus (vt quibusdam placet) nauigij vicem præbentibus: quarum isthîc magna est copia atque frequentia: siue (vt alij volunt) *Rhaetobonna* à *Rhaetis* Germaniæ populis, quos vrbs hæc veluti limes à Noricis separat, Vrbs est amplissima atque ornatissima: & aggere, fossâ, vallo, mœnibus, albo quadratoque lapide constantibus, munitissima: sedes olim & regia Boiorum regum: quorum imperio excusso, demum sub Friderico I. Cæsare in libertatem se vindicauit: vectigalia tamen & portoria non asseruit: quæ adhuc partim possident principes Boiorum: partim ciues ex pacto obtinent. Tota ferè vrbs anno DCC XCI. incendio vastata: sed ab Arnolpho Cæsare posteà multò splendidiùs exornata: qui multum ibi versatus est: sicut & in eâ vrbe domus & turres instar arcium egregiæ, prisca formæ monumenta conspicuntur. Porro vrbs hæc semper fuit celebris nobilibus familijs Romanis: in quâ fidem Christianam primùm docuit Marcus, Pauli comes, & Lucius Cyrenæus, Simonis F. cuius Lucas meminit in Actis. Posteà Carolus Magnus Imperator, impiâ fraude ac superstitione, quâ cæteræ gentes conflictantur, contaminatam religionem repurgauit: & verâ sanctâque Christi doctrinâ

G s

iterum